IOHANNES DE TURRECREMATA

Süddeutscher Raum, 1477 Seite 153r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31292
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



suos quia cum pharao penitentiam promittebat deus remoue-
bat plagam et sic dulcorabat sermones suos licet sciret eos
futuros obstinatos et durissimos

Conuertit aquas eorum in sanguinem et occidit pisces
eorum

Impleuit terram eorum ranis non modo in locis exterioribus
et communibus sed in secretis cubilibus pharaonis et prin-
cipum eius

Dixit et venit cynomia scilicet musca canina et ciniphes
qui intrabant eis in oculos et hoc non in paucis locis
sed in omnibus finibus eorum

Posuit pluuias eorum grandines et ignem conburentem
scilicet fulmina in terra ipsorum

Et percussit grandine et fulminibus vineas et ficulneas
eorum scilicet arbores fructuosas

Dixit i. voluit et venit locusta et brucus fetus eius
cuius non erat numerus

Et comedit locusta et brucus omnem herbam in terra eorum
et comedit omnem fructum terre eorum

Et percussit omne primogenitum tam hominum quam animalium
in terra eorum et primicias omnium frugum

Propha exponens beneficia collata populo israhel ait

Et eduxit filios israel cum argento et auro quia vasa
aurea et argentea que ab egipciis mutuauerant precepto
domini deportauerunt et non erat in tribubus eorum infirmus
quod valde mirabile fuit quod in tanta multitudine nul- no
lus infirmaretur

Et tunc scilicet post submersionem exercitus pharaonis

Letatus est egiptus i. illi qui remanserunt quia inde
iudei profecti erant et hoc quia timor eorum incubuit super
egipcios ne redirent iudei et reliquias egipti con-
sumerent

Narrat beneficia data illis postquam eduxit eos in desertum